

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorvm Dialogorum Libri
Qvatvor, Qvos Postremo Ipse Recognovit: Argvmenta
Singvlis Dialogis Praeposvit, Et Sententias Svbiecit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Goliathvs.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

ipse de vicissim regno exuet. S. Peccavi, quod contra Jovæ jussu, contraque tua dicta fecerim, milites veritus, eisque obsequutus. Sed da mihi quæso hanc veniam, ut mecum revertare, ut Jovam adorem. Sam. Non revertar tecum, quia Jovæ mandatum aspernatus sis, & idcirco ab eo abdicatus regno Israelitarum. Vale! S. At non patiar te abire, ut non me comiteris. Sam. Quid me retines? ah! rupisti meum pallium, & Jova hodie Israelitarum regnum a te abrumpit, idque alteri te meliori tradit. Neque vero fallet Israelitarum triumphator, neque factum mutabit: non enim homo est, ut factum mutet. S. Fateor peccatum a me esse. Sed concede mihi hunc honorem apud senatores meorum popularium, apudque Israelitas: ut mecum redeas, Jovam Deum tuum adoraturo. Sam. Age, age, præi, sequar.

SENTENTIA.

Nihil placet Deo, quod ejus præcepto contrarium est, etiamsi bona alioquin animo fiat. Debet enim bono Deo (sicut servus hero, aut filius patri) servire non suo, sed illius arbitrio.

GOLIATHVS. I Reg. 17.

ARGVMENTVM.

David a Saulo impetrat, ut liceat cum Goliatho pugnare, & illum cum funda & pedo aggressus occidit.

David, Eliabus, Goliathus, Israelitæ quidam.

Alius Isr. Nuncius, Saulus.

Salvete mei fratres optimi. E. Deus det quæ
F 2 velis,

velis, germane lepidissime! Ut valet pater? *D.* Optime, gratia Deo: meque misit, ut viserem, quid ageretur, vobisque afferrem placentam, & decem panes, & tesseram vestram acciperem. Dedit etiam mihi decem caseos ad centurionem. Sed quam ego vocem audio? *G.* Quid opus est vos exire ad prælium dimicandum nobiscum? Ego sum Palæstinus? vos estis clientes Sauli. Deligite ex vobis aliquem, qui conferat manus mecum: qui si superaverit me prælio, & interemerit nos serviemus vobis: sin ego vicero, vos nobis servietis. Quanta ego hodie ignominia afficio instructos in acie Israelitas? Date virum, qui mecum contendat singulari certamine. *D.* Quis est importunus iste, & turgidus Gigas, qui tantopere despicit nos præ se? cuius vocem & aspectum contremiscunt omnes, & refugiunt? *I.* Nescio quis est, natus in nostram perniciem & dedecus: cum quo nemo audeat conferere manum, adeo ingens est, & terribilis. *D.* Quid ergo præmii feret, qui sustulerit eum de medio, & aboleverit hoc tantum probrum Israelitarum? Nam quis est impurus iste Palæstinus, qui inurit tantam ignominiam castris Dei immortalis? *I.* Si quis eum dejecerit, Rex eum valde ditabit, locabitque ei nuptum filiam suam, donabitque immunitate perpetua domum ejus paternam. *E.* a) Cur venisti huc, improbe puer? aut cur deseruisti pauculas illas oviculas in saltu? Ego novi temeritatem, audaciam-

a) Plerumque qui minus possunt, eos contemnunt & objurgant, qui possunt.

que tui ingenii. Mirum, ni venisti spectatum prælium. *D.* Quid ego commisi? an non erat causa, cur venirem? Sed adibo alios. Heus tu, quo præmio afficiet Rex eum, qui occiderit immanem illum Palæstinum? *I.* Maximo. *D.* Quonam? *I.* Ornabit eum maximis divitiis & opibus, committetque ei natam suam uxorem, & liberabit domum ejus patriam in perpetuum. *D.* Condignum sane præmium, & regale. Equidem ausum aggredi hominem: nescio quomodo gestit animus, indignaturque tantum licere cuiquam in populum Dei. Hæccine ut patiar? Impune ergo nefanda illa probra evomuerit in sacram gentem? Mori me malim. *N.* Adolescentule! jubet Rex, ut venias ad se. *D.* Nihil est, quod faciam libentius. Eamus. O si fiat mihi potestas pugnandi cum eo, quantum bellum confecero? vel potius, quantum bellum confecerit Deus, uno occiso? *N.* Adduco tibi hic adolescentulum, Rex, quem jussisti, accersi. *S.* Quid audio David? tu ne dixisti, te audere in Palæstinum illum portentosum, qui perterrefacit totas nostras acies? *D.* Bono animo es, o Rex, ne despondeat quisquam animum. Vos spectabitis: ego ipse subibo hoc certamen, & congregiar cum Palæstino. *S.* b) Vide quid dicas, David. Num possis pugnare cum eo, adolescentulus, & rudis belli; cum viro robustif-

F 3

simo,

b) Saulus humanas vires spectat, David divinas. Sic & in spiritali pugna adversus peccatum spectant carnales, quid homo possit: spirituales, quid Deus possit in homine.

fimo, & in armis exercitatissimo jam a puero
D. Nihil facio neque vires neque usum armorum
 ejus: habeo longe aliam rationem certandi. Audi
 quid dicam. Cum aliquando pascerem oves pa-
 tris mei, leo una cum urso invasit gregem, ovem-
 que corripuit. Eum ego consequutus cæcidi, eri-
 puique ovem e faucibus ejus. Tum ursus in me
 irruere: ego vero prehensum rostro, ad terram
 affligere, & cædere, atque ita occidi & leonem &
 ursum. Non dubito quin idem exitus maneat
 nefarium hunc & deterrimum hostem, qui aude-
 t profcindere convitiis exercitum Dei immortalis
 Jova, qui defendit me a leone & urso, idem de-
 fendet me a Palæstino isto. *S.* Quanto tanta fi-
 ducia es, per me licet descendas in certamen.
 Adsit tibi Deus. Veruntamen es armandus. Volo
 accommodare tibi mea ipsius arma. *D.* Nun-
 quam equidem arma tuli. Sed faciam pericu-
 lum, si possum uti. *c)* Hæc lorica valde me gra-
 vat, cassis quoque premit caput, etiam caligæ sunt
 duplo majores, quam pro meis pedibus: nec en-
 sis admodum decet meum latus: videorque ma-
 gis alligatus ensi, quam ensis mihi. Vah, non
 possum ingredi cum his impedimentis. Apage
 hæc arma, non sum assuetus his ferendis, malo
 ferre nota tela: pedum dico, & fundam, una
 cum his quinque levibus filicibus, quos geram in
 sacco. Bene spera, Rex, cernes me hodie vi-
 ctorem redeuntem cum exuviis hominis ferocis-

fimi.

e) Spiritualia bella spiritualibus, non carnalibus ar-
 mis gerenda sunt.

fimi. *S.* Ita faxit Deus. *G.* Videone ego hominem venire ad me? Tandem habeo quo cum certem. Sed quæ, malum, intemperie agitant Israelitas? *d)* Quis misit nobis hunc pulchellum pusionem rubicundum? Heus puer, mene putas canem, qui cogites pugnare pedo? Ut te dii deaque omnes, quantum est, perdant. Accede ad me fodes, ut jam propinem te dilaniandum, & comedendum volucris & bestiis. *D.* Tu quidem adoriris me, fretus gladio, & hastili, & scuto: ego vere aggredior te armatus solo nomine Jovæ armipotentis. Dei copiarum Israelitarum, in quas tu hodie contulisti omnia maledicta. Hodie Deus conclusit te in manum meam, ut te dejectionem, abscindamque tuum caput, & pascam volucres & feras non tantum tuo cadavere, sed etiam omnium, qui militant in vestro exercitu: ut sciant omnes mortales eum demum esse Deum, quem Israelitæ agnoscunt & reverentur: discatque omnis hæc manus spectatrix, Jovam non adhibere enses, aut hastam in vincendo, cujus sit unius gerere bella, quique tradidit vos nobis in manus. *G.* Proh Jupiter, ego ne ut hodie hæc audiverim, idque a puero? At me Deus perdat, nisi te jam discerpo his unguibus. *D.* Quin age, si quid potes: interim excipe hunc lapidem recta in frontem: O he Goliathe, corruis, qui modo stabas tam firme? At ego te contundam usque hoc pedo. Hem tibi. Nunc istic jace prostratus manu

F 4

manu

d) Sic mundani contemnunt spirituales & pro pueris habent.

manu pueri, qui modo solo aspectu viros & cœ-
lum armis territabas. Hic te puer jugulat tuo
ipsius gladio, caputque tuum horrendum præfigi-
tuæ hastæ, quod ostendet exercitui.

SENTENTIA.

*Nemo vel tam vir est, quin facile vincatur ab
quovis, adverso Deo: vel tam puer, quin facile vin-
cat, quemvis, propitio Deo. Dei est victoria, &
credendi nihil arduum.*

JONATHAN. I Reg. 20.

ARGUMENTVM.

David & Jonathan inter sese rationem
ineunt, qua resciscere David queat, quis sit
Sauli erga ipsum animus: & fœdus inter sese
in perpetuum paciscuntur.

David, Jonathan.

Quodnam esse potest meum tantum in tuum
patrem peccatum, Jonathan, ut me quærat
ad necem? *J.* Ad necem vero? non est credi-
bile, nam tanta me res non lateret: quippe cum
meus pater nullam rem tantam, tantulamve faciat,
quam non mecum communicet, nedum ut hoc
me celet. Non est ita, *D.* At scit, ut me habeas
intimum: ideo hoc te fortasse celat, ne ægre fe-
ras. Crede mihi, nihil tam certum est, quam me
in summo vitæ discrimine versari. *J.* Ecquid
ergo me tibi hæc in re commodare posse arbitra-
ris? *D.* Cras, ut tute scis, agitur primus dies
mensis, quo ego die soleo cum Rege accumbere.

Ruri